AD

Augustissimam atq; Optimam

ANNAM REGINAM

DE

Felicissimis regni sui initiis,
et rebus terra marique
bene gestis,

Inprimis de Insigni apud *Vigum* reportata
Victoria

ORATIO.

LONDINI.

Impensis *Johannis Chauntry*, ad Insigne *Tribuli* & *Malestrinæ*, extra *Temple-Bar*; & prostant venales apud *Johannem Nut* prope *Stationers-Hall*. Anno MDCCIII.

ORATIO

DE

REGINAM

AD

ILLUSTRISSIMO DOMINO

JACOBO

DUCI ORMUNDO.

OFfero Tibi, Dux Illuſtriſſime & Fortiſſime, Orationem iſtam, cujus conſcribendæ Tua Virtus, & res præclare geſtæ Occaſionem dederunt. Non hodie primum ſumus Nobiliſſimæ Tuæ Familiæ Laudibus aſſueti. In omnium memoria adhuc viget Clariſſimus Avus Tuus, qui Imperii Conſiliis, & rebus bello & pace gerendis inter primos temporibus illis enituit. Tum Fortiſſimus & Deſideratiſſimus Pater, qui domi & foris, in caſtris & aula, militum & civium deliciæ, & gentis decus & ornamentum fuit: Cujus nimis properam, & cunctis deploratam mortem, videretur Deus Optimus Maximus Te

dato quam ſimillimo Filio compenſatam volu-iſſe. Neque enim illius tantum dignitatis & amplitudinis, ſed etiam eximiarum Virtutum hæreditas videatur Tibi veniſſe. Haud mirum igitur ſi continuo plauſu & acclamatione populi tibi ad Solennem hanc ob cauſam Gratulationem eunti, quantum Tuæ Virtuti, Felicitati, Benigno, & ad bene de omnibus merendum prompto & parato animo omnes faveamus, oſtenſum fuerit. Me, quæſo, benigne feras res a Te geſtas breviter attingentem. Et quãquam Laudum Tuarum commemoratione minime delectaris, liceat tamen nobis Optimæ noſtræ Reginæ gratulari, quod cum hujuſmodi bellica munera propter ſexus imbecillitatem ipſa obire nequeat, ei detur talium Virorum copia, quorum Opera & Virtute in noſtra & communi Europæ *Salute & Libertate tuenda, & Antiqua gentis Laude & Dignitate vindicanda feliciter utatur.*

Illuſtriſſime Domine

Tui Obſervantiſſimus

J. C.

AD

AUGUSTISSIMAM ATQUE OPTIMAM

ANNAM REGINAM

ORATIO.

CUM nonnullis aliis Principibus, leviſſimis de cauſis, imo nonnunquam de rebus minus feliciter geſtis, neſcio qua ambitione, gratulationes & ſupplicationes ad Dei templa decerni placeat: Quis eſt tam iniquus, tam invidus, qui nos reprehendat, ſi Optimæ atque Auguſtiſſimæ noſtræ Reginæ de auſpicatiſſimis Regni ſui initiis, de rebus terra marique feliciſſime geſtis, & imprimis de Nobiliſſima apud *Vigum* reportata Victoria, jure merito gratulemur?

Et certe videtur hoc quodammodo poſtulare ipſius Dei Optimi Maximi ſingularis erga nos benignitas; Reginæ noſtræ Prudentiſſima & Fauſtiſſima rerum Adminiſtratio; Ipſorum Ductorum & Militum Conſilium, Virtus, & Intrepida Fortitudo, ut tam Inſignis Victoriæ, & tantarum rerum memoria poſteris publico aliquo teſtimonio & commemoratione mandetur. Quod quidem, non oratoria facultate & copia, a qua longe abſum, ſed hiſtorica potius fide, dum minutius fortaſſe, pro loci & temporis ratione, ut plenior exſtet notitia, perſequar, benigne, quæſo, accipiatur. & æqui boni conſulatur. Jactabant hoſtes, & inſimulabant malevoli, Rege *Gulielmo* mortuo, ſuſcepta a nobis tam caute & ſapienter conſilia, aut cum illo interitura, aut brevi tempore eluſum iri. Non eſſe virium fœminæ, quantumvis prudentis & peritæ, tanta molimina, tantos belli apparatus, tantos ſumptus, tam difficilem & ancipitem rei adminiſtrandæ rationem. Quin etiam eo arrogantiæ, & inſolentiæ ventum erat, ut de claſſe noſtra, tanquam de re amiſſa & perdita, per præconem publicum inquirendum hoſtes jocarentur. At certe ſit riſus *Sardonius*: Ecce enim Inſtructiſſima noſtra Claſſis cum Auxiliis

liis *Batavis* ad illam portus *Gadium* partem, quam *Sinum Taurorum* nuncupant, Duodecimo die *Auguſti*, hoc Anno 1702. de improviſo appellit. Summo totius rei Duce & Principe, Nobiliſſimo, & Fortiſſimo *Jacobo*, Duce *Ormundo*; Claſſis Præfecto, *Georgio Rookæo*, Equite aurato, Viro Strenuo, Conſideratiſſimo, & rei maritimæ hujus forte Sæculi Peritiſſimo; *Batavis* Dux præerat *Baro de Sparr*. Exſcenſus e navibus in terram non ſine magno periculo & diſcrimine fit; ipſe enim Dux *Ormondus*, quod lembis & ſcaphis propius accedere non daretur, pedes per maris fluctus magna contentione littus ſuperare coactus eſt; tum fuſis fugatiſq; quæ nos terra arcere nitebantur hoſtium copiis, & occiſo illorum Duce, Arcem *Rotæam*, Portum Sanctæ *Mariæ*, Oppidum S. *Catharinæ* noſtri cœperunt. Cum autem ventum eſſet ad Propugnaculum, *Metagorda* dictum, nimirum alterum ex duobus illis præſidiis, quibus in Portum *Gadium* introitus defendebatur; qui etiam tribus navigiis a *Gallis* demerſis fere obſtructus & occluſus erat, & qua ad urbem oppugnandam ſolus dabatur aditus, hoc nobis accidit incommodum & impedimentum; Solum proximum & continens adeo

erat

erat limoſum, molle, & depreſſum, ut conſtructus a noſtris agger & area tormentis munita, explosis tormentis continuo ſubſideret. Tormentarii igitur, & rei bellicæ artifices teſtimonium manu ſua ſubſcriptum dederunt, illic fruſtra ſe, ac contra naturam loci niti, nec proſpere quidquam agi poſſe. Facile fuit noſtris urbem tormentis verberare, etiam ignitis globis incenſam comburere & vaſtare, ſed non eo conſilio venerant, ut *Hiſpanis* damnum tantum & detrimentum inferreretur, ſed ut Antiquiſſima & Nobiliſſima gens a *Gallis*, inveteratis hoſtibus, qui quod armis nunquam potuerant, id dolis, & malis artibus viſi ſunt aſſecuti, liberaretur, & ad priſtinam laudem & dignitatem reſtitueretur. *Ormondus* declarationes ſecum allatas *Gades*, & in regionem continentem miſerat, & divulgandas curaverat, nimirum, ſe non hoſtili animo veniſſe, ſed ut *Hiſpanos* ab externo jugo vindicaret, & *Auſtriaco* Duci, legitimo eorum Regi ad regnum recuperandum ſubveniret; quem ſi agnoſcere & recipere recuſarent, ipſis, non ſibi, quæ evenirent calamitates, vitio vertendas. *Baro* quoque de *Sparr* ſimiles Ducis *Auſtriaci* nomine emiſit. Quin ad timpani ſonum per ſingulas

legiones *Ormundus* edici juſſit, capitale fore ſi quis *Hiſpanum* ſpoliaret, aut prædas faceret. Quod ſi tamen ſecus apud Oppidum Sanctæ *Mariæ* factum; id ea ratione accidit: *Hiſpani* plerique ex oppido metu perterriti exierant, tabernas, & cellas vinarias incuſtoditas relinquerant; milites noſtri aſſiduo labore & ſudore defatigati, oblata occaſione, vino ſe ingurgitant, deinde temulenti, contra Imperatoris juſſum in prædam involant, etiam nimis intemperanter ſe geſſiſſe quidam arguuntur; quoque modo ſe res habet, in vincula nonnulli conjecti ſunt, pœnas ex delictis daturi. *Ormundus* tumultu & ſeditione ſedata, civibus, qui in oppido remanſerant, metu libertatis, ne quid in poſterum accideret, diligentiſſime caveri & provideri mandavit. Sed cum videret præter expectationem ſuam, & & nonnullorum magni nominis promiſſiones neminem ſibi auilio venire: Hoſtium autem copias, miſſis ab urbe *Ceuta* mille veteranis, in dies augeſcere, & quaquaverſus agglomerare, etiam hyemalem tempeſtatem ingruere, habito concilio, omnium conſenſu reditum in patriam parandum viſum eſt. Equis igitur, tormentis, & militibus in naves impoſitis e

ſinu *Gadium* tota claſſis ſolvit, & viceſimo quarto die *Septembris* ſex armatæ naves ex noſtris cum quatuor legionibus ad Oras *Americanas* dimiſſæ ſunt. Hic autem qualem angorem, quales anxietates in fortiſſimi noſtri *Ormondi* pectore putemus extitiſſe, quod poſt tantam concitatam expectationem, re infecta, redire cogeretur? Hujuſmodi enim inſignes Viri proſperos ſemper rerum exitus ſ[illegible] ductu, conſilio, & virtute ſua conſecuturos confidunt. Et certe videtur quibuſdam magnis viris, ut ait *Latinus* Orator, quædam ad amplitudinem & gloriam, & ad res magnas gerendas divinitus adjuncta fortuna. Ecce enim ſexto die *Octobris* in medio curſu cum omnes domum cogitarent, Navarchus *Hardeus*, qui in Navi Pembrochia explorandi cauſa dimiſſus fuerat, *Ormondo* nunciatum venit, *Hiſpanorum* ex *America* onuſtam Claſſem cum pluribus *Gallorum* bellicis navibus in Portum *Vigonenſem* in *Gallicia* appuliſſe. Illico erecti omnibus animi, & habito concilio, *Ormondi* potiſſimum ſuaſu & authoritate, paſſis velis ad *Vigum* certatim contendunt. Undecimo die *Octobris* in ſinum *Vigonenſem* appulſi e regione urbis in anchoris ſteterunt. Urbs illa, antea ignobi-

lis

lis hinc in hiſtoria nobilitanda, Portus erat in remotione & interiore ſinus angulo ſatis opportunus & commodus: Hunc trajecto firmiſſimo obice, ex malis, antennis, catenis & ruderibus non inſcite confecto, qui ab utroque littore pertingebat, occluſerant; & qua ad oras hinc inde affixus tenebatur, duo propugnacula, alterum triginta & octo, alterum ſeptendecim æneis tormentis munitum; ut obici præſidio eſſent, conſtruxerant. Intra Portum erant quindecim *Gallorum*, & tres *Hiſpanorum* bellicæ naves, firmo & numeroſo militum & nautarum præſidio inſtructæ, incendiaria etiam aliquot navigia, tum tredecim ingentes *Gauli*, quos *Galeones* vulgo dicunt, alii viginti, alii triginta tormentis armati. *Gallorum* Claſſis Præfectus erat *Marchio de Chateau Regneau*, *Hiſpanorum*, *Don Joſephus Checon*, omnes directo ordine non longe ab appoſito obice quaſi in acie ſtabant. *Ormondus* tam militum quam claſſis ductoribus in conſilium adhibitis, præcepit ut viginti & quinque naves, in quibus *Batavorum* decem, per obicem irrumpere tentarent. Sed prius in terram mittendam ſatis firmam ſclopetariorum manum, qui hoſtes in Præſidiis adorirentur.

Proximo igitur die expoſiti in terram ad ſecundam ab urbe leucam ſclopetarii, tam *Angli*, quam *Batavi*, qui non ſolum hic ſed aliis in locis & dimicationibus ſtrenue prorſus, & fortiter ſe geſſerunt, Duce noſtro *Barone de Shanon*, contiuno ad majus illud propugnaculum infeſto agmime contendunt. Hoſtes acriter & animoſe ſe primum defendunt, noſtri autem tanta ferocia & pertinacia inſtabant & irruebant, ut brevi tempore capto propugnaculo hoſtes expulſi & ejecti in fugam ſe conjecerint. Et quanquam viginti hoſtium millia in & circa locum illum aderant, & quaquaverſus apparebant, tamen militum noſtrorum fortitudine & virtute perterriti nos aggredi non ſunt auſi. Continuo viginti & quinque noſtræ naves, quæ anchoris ſolutis paratæ ſtabant, paſſis velis in Portum provehuntur. Agmen ducebat Fortiſſimus noſter Claſſis Præfectus *Hobſonius* in navi octoginta tormentorum, cui nomen *Torbay*, & ipſe primus & ſolus, obice navis ſuæ prora vi magna diſrupto, incredibili Virtute in medios hoſtes irruebat: Eodem tempore *Bucknamus* in navi *Aſſociatio* dicta, minori altero hoſtium propugnaculo trāſverſum ſe appoſuit; alii aliis in

locis

locis viam ſibi in Portum patefaciunt. Tum vero tantæ, & tam continuæ tormentorum & ſcloporum exploſiones, ignes & fragores, ut vix cogitatione quisquam fingere, ne dum verbis explicare poſſit. *Gallorum* Dux, deſperatis rebus, naves ſuas incendere, ipſe in fugam ſe dare; *Hiſpani Gaulos*, alios comburere, alios demergere; noſtri prohibere; triſte & luctuoſum ſpectaculum oritur: mare flammis late collucere; cœlum ipſum rubere, & quaſi inflammatum apparere; crebræ ſubinde, cum ad pyreum pulverem ignis in incenſis navibus perveniſſet, horribiles exploſiones, & navium diffractiones; milites & nautæ, alii ſe præcipites e navibus dare, alii lembis aut natatu littus petentes, intercipi, ſubmergi, tormentorum & ſcloporum glandibus interfici; noſtri ovantes inſequi, in prædam involare, confectis ſarcinis aperte, aut bene nummati furtim naves quiſque ſuas tanquam alvearia petere; nonnulli in ſuos bene prædatos irruere, & ſpoliatores ipſos ſpoliare; *Ormondus*, tantum communi ſaluti intentus nec quidquam ipſe attingere, nec ab aliis officioſe oblata accipere velle; quin e combuſtarum navium demerſis carinis, ciſtis diffractis, argen-

teæ laminæ & nummi per mare pellucere. Atque ita ſex bellicis navibus & quinque onuſtis Gaulis captis, reliquis omnibus vel igni conſumptis, vel ſubmerſis & deletis inſignis & memorabilis victoria trium horarum ſpatio reportata eſt. Quæ quidem quanti ſit nobis momenti, quam hoſtibus luctuoſa & funeſta nec facile quiſquam dixerit, nec ipſi fortaſſe adhuc ſentiunt. Conſtat certe illorum opes & vires maritimas magnopere attritas & imminutas; nonnulla conſilia, machinationes & ſpes eluſas; *Hiſpanos* ſpe dejectos de ſuis defenſoribus male ſentire; nonnullos Principes antea vacillantes ad nos ſocioſque noſtros, vel ſpe adduci & conciliari, vel ſaltem a *Gallorum* paribus metu deterreri: Et, quod mirum, certe videbitur rem tantam tam exiguo nobis damno & detrimento geſtam. E tota enim claſſe noſtra ne una quidem navis deſiderata eſt. altero a victoria die Clariſſimus *Shovelius*, unus ex noſtris rei maritimæ Præfectis cum viginti navibus ex *Anglia* eodem conſilio miſſus appulit. Capto igitur oppido *Rodendello*, ubi aliquid prædæ inventum, ipſe *Shovelius* cum viginti ſeptem navibus in portu relictus eſt, ut captos Gallos & bellicas naves utcunque refe-

ctas domum ſecum perduceret, nec non tormenta ænea & demerſas opes, quod commode fieri poſſet, eductas ſecum afferret, quod reliquum eſſet igni conſumeret. Tum *Ormondus* cum reliqua claſſe vela fecit, & ſeptimo die *Novembris* ad patriam oram feliciter & incolumis pervenit. Hic autem cerno latiſſimum mihi patere campum, ad dicendum de Nobili, Strenuo, Felici, Munifico, & Benevolo *Ormondo*, Imperatore noſtro, cujus Virtus & Fortitudo variis in *Hibernia* & *Belgio* prælliis & dimicationibus jamdudum perſpecta, qui non minus opum quam periculi contemptor, qui ſolum gloriæ & de aliis bene merendi avidus, nec minus civium ſuorum propter ſuaviſſimos mores & benevolum animum deliciæ, quam propter intrepidam virtutem hoſtium terror: ſed ejus hac tantum in re ſevera Virtus non patitur; forſan ne vera laus videretur in adulationem abire. Id tamen pace ejus dixerim, prohibere non debet, quo minus noſtræ ſaltem Reginæ gratulemur. Quod cum hujuſmodi munia ipſa propter ſexus infirmitatem & imbecillitaem obire nequeat, ei talium virorum copia ſuppetat, qui conſulta & juſſa exequantur; & inprimis

quod

quod eos reliquoſque idoneos Imperii Miniſtros præſtantiſſimo ſuo Judicio facile internoſcat, & rebus gerendis eligere & præficere dignetur. Et certe non eſt quod ab hujuſmodi longinquis & externis bellis adeo ſemper gens noſtra abhorreat, alia enim ratione mercatura & commercia, jus & incolumitas noſtra non conſervarentur & vindicarentur. Huc accedit quod Ductores & Milites, Navarchi & Nautæ educti erudiantur & aſſueſcant, quin etiam diſſidia & bella domeſtica, quibus tam frequenter & tam infeliciter laboramus, ſæpe vitentur & occaſiones & opportunitates ſubtrahantur. Cum vero a tam fauſtis & præclaris initiis Auguſtiſſimam Reginam noſtram Regnum ſuum auſpicari cernimus, quid eſt quod ab Illius Eximiis & vere Regiis Virtutibus non ſit ſperandum? Vidimus ſupremam Authoritatem & ſummam belli a ſociis noſtris illi in inferiore *Germania* communi omnium conſenſu delatam, & ab illa Fortiſſimum, Peritiſſimum, & Conſideratiſſimum Virum, Comitem de *Marlborough*, Summum illic Imperatorem conſtitutum, quod certe genti noſtræ magno honori ducendum qui quidem & avitæ gentis laudi, & ſuſceptæ

de

de ſe opinioni, & ſociis noſtris omnis officii ratione tam Imperatoris quam Legati (utroq; enim munere cohoneſtatus eſt) cumulatiſſime ſatisfecit. Ille prudentiſſimo ſuo ductu & conſiliis potentiſſimum & minaciſſimum hoſtium exercitum & veteranos illorum Duces non ſolum retardavit, repreſſit & coercuit, verum etiam ad prælium inſtructa acie ſæpius provocatis tam acriter inſtabat, tam prope a tergo uſque inſecutus eſt, ut nulla loca, nulla caſtra ſecura ducerent, ſed indentidem, & ſæpe de nocte, vaſa colligere, & caſtra movere coacti ſpeciem fugæ potius quam migrationis aut itineris præbere viderentur: neque auſi diverſis in locis obſeſſis & periclitantibus ſuis ſubſidio copias dimittere, ne ipſi debilitati a noſtris qui imminebant, ſubito opprimerentur. Atque hic cuniculi, hic machinæ, hic arietes quibus Landavii muri dejicerentur. Nam interea urbem illam *Gallis* maximi momenti, utpote firmiſſimum contra *Germanos* præſidium, & tantis ſumptibus, tanta arte, tanto per multos annos labore & diligentia munitam, ut inter firmiſſima *Europæ* Propugnacula, & fere inexpugnabile haberetur. Interea inquam *Germani*, Fortiſſimi noſtri Socii, urbem illam obſiderunt, & ſpectantibus duobus ſummis *Gallorum* Imperatoribus, hinc clariſſimo

Bouflero, illinc peritiſſimo *Catenatio*, cum ſuo quoque Exercitu, ut obſeſſis ſubſidio adeſſent, ſumma Virtute, ſumma Contentione, atque incredibili Fortitudine, non ſine magna, re vera, utrinque ſtrage, expugnarunt. Res ſane præclare geſta: digna *Germanorum* animis & robore; digna auguſtiſſimi *Romanorum* Regis militaribus initiis & belli Tyrocinio: cui quidem ampliſſimo & fortiſſimo Principi eo magis atque ex animo favere debemus, quod ex hiſtoriæ monumentis conſtat, interea dum plerique alii Chriſtiani Principes orbis terrarum pacem & tranquillitatem perturbant; bella vicinis, egeſtatem & miſeriam ſuis inferunt; ſi quod oppidulum aut provinciam per vim aut fraudem hodie arripuerint, cras amittunt; aut ſi quid forte de male partis aliquandiu hæreat, quid inde fit? Seminant bella & bellorum calamitates ſibi vel poſteris ſuis, in ſua enim quiſque, oblata occaſione, involare paratus erit; at vexati & miſeri cives interea, ut olim Achivi, plectuntur. *Germanorum* autem Imperatores jam a multis annis, imo ſæculis viribus ſuis uſos non ad aliena eripienda, ſed ad ſua vel defendenda vel vindicanda; non aliorum ditionis & finium invaſores, ſed publicæ libertatis, ſed Chriſtiani nominis contra impios *Mahumetanos* acerrimos propugna-

 tores

tores, & tanquam Christianorum omnium commune præsidium & propugnaculum semper extitisse. Adeo ut si quod res est, eloqui & profiteri licet, illis potius magnifica illa nomina & tituli tribuenda, illi Catholici, illi Christianiss. jure merito dicendi & celebrandi. Atque hic, si daretur locus, si orationis hujus angustiæ paterentur de celebri inter Germanos & Gallos de jure Hispanorum regni, controversia differere, bone Deus! quam repugnantia, quam præpostera a Gallis afferri & dici appareret! modo contendunt regum testamenta, publicorum fœderum sanctitatem, jurisjurandi religionem nihil hic valere, nihil posse; rem totam jure hæreditario contineri; id adeo a natura insitum atque innatum, ut nemo hæres eo se possit ulla ratione, saltem quoad hæredes suos, abdicare: Itane vero, qua igitur ratione? quo jure Princeps Delphinus se hodie abdicat in gratiam secundi filii sui? Si boni publici causa, ergo prior abdicatio a matre ejus boni publici causa facta valebit. Quod si confugiunt ad novum illud qualecunque tanta de re in extremis testamentum de repente a suis concinnatum, contra perpetuam testatoris notam, etiam recenti priore testamento declaratam voluntatem, sed terrore & minis a vix mentis compote extortum. Cur igitur obti-

nere non debet prius illud patris ejus legitimum & consideratum testamentum a regni sui ordinibus agnitum & in legem conversum prioribus exemplis, & postea solenni illo inter utramque gentem conjugali fœdere & pacto, & publico jurejurando confirmatum? sed quid ego istis immoror? quasi hic de Jure non de Dominatu quacunque ratione acquirendo ageretur. Hic autem in tanta mea festinatione in tanta rerum copia non fas esse existimo Nobilissimum *Germanorum* in *Italia* Imperatorem Invictissimum *Eugenium* cum suis copiolis tacitum præterire. Ille in *Italiam*, occupato a *Gallis* & obsesso omni aditu, per præruptos Alpes stupentibus hostibus nec lacessere ausis, ignota & intentata via contra omnium opinionem & rei ipsius naturam incolumis penetravit. Ille numerosum & lectissimum hostium exercitum, novis subinde auxiliatricibus copiis auctum, tot tantosque Veteranos Duces & Imperatores, alium ex alio continuo missos, Subaudiæ Principem, titularem *Hispaniæ* regem cum firmissimis præsidiis non solum copiolis suis continuo labore & itineribus fatigatis, omnium rerum inopia pessime acceptis, & in arctissimo agrorum tractu tanquam brevibus cancellis, septis & circumscriptis per biennium sustinuit, sed sæpius fudit fugavitque; &

No-

Nobiliſſimum & Peritiſſimum illorum Imperatorem, Ducem de *Villeroy* Cremonæ, in munitiſſima ejus urbe & præſidio, magno militum numero ſepto & ſtipato, facta de nocte in urbem irruptione cepit, & captivum abduxit. Cujus quidem egregii, fortis & magnanimi facti nihil ſimile adhuc legitur, neque uſquam antea factum; primum hoc & ſingulare hujuſmodi exemplum in hiſtoria exſtabit. Et certe ſi unquam apparuit, quid Ducis fortitudo, conſilium, vigilantia, ſtratagemata & aſtutiæ, quid militum virtus & robur poſſent, hoc arduo & difficili bello oſtenſum eſt: Res enim hujuſmodi illic a *Germanis* geſtæ ut ſupra omnem & antiquitatis memoriam, & poſterorum fidem viderentur. Sed me ſociorum noſtrorum res ſecundæ longius abduxerunt, ad propoſita, & felicem rerum noſtrarum ſeriem redeamus. Idem ac *Landavium* fatum multæ aliæ hoſtium urbes, præſidia, propugnacula magni momenti, magni nominis, nonnullæ etiam Provinciæ integræ habuerunt. Quorum expugnationes & in poteſtatem reductiones ſigillatim perſequi nec loci nec temporis anguſtiæ paterentur. *Kaiſerſwart*, *Leodium*, ubi noſter Nobilis Dominus *Cutts*, tam Audacem & felicem, navavit operram, *Ruremundia*, *Venlo*, *Stevenſwart*, *Grovenbroech*, *Weere*, *Maſeich*, at-

atque aliæ minoris nominis, quæ raptim percurrendæ, ne majore celeritate pleræque captæ, quam Oratione noſtra commemoratæ atque expoſitæ viderentur. Vetus dictum eſt, & a multis uſurpatum qui mare tenuerit, eum rerum potiri neceſſe eſſe: nonne hoſtium claſſes portubus ſuis obſeſſas, & tanquam carcere incluſas per totam fere æſtatem tenuimus? *Dunkerkam*, portum *Breſtanum*, totum fere interjectum mare navibus noſtris quaſi obſedimus: quin ora, ſinus, inſulæ *Americanæ* nobis pœnas dedere. Strenuus & Vigilans ille noſter Dux & Navarchus *Lakeus* cum ſua claſſicula *Gallorum* oppidum & arcem Sancti *Petri* dictam apud Terram Novam captam excidit, totum illum apparatum piſcatorium, ingentes ligneas areas, conſtructiones & ædificia ad piſces præparandos & exſiccandos evertit, diruit, atque igni conſumpſit. Duabus bellicis navibus aut incenſis aut ſubmerſis centum & viginti *Gallorum* piſcatoriæ naves captæ & interceptæ ſunt. Quin etiam ex ora noſtra *Americana*, præſertim ex *Nova Anglia*, tum ex inſulis *Barbadiæ*, *Jamaicæ*, cæteriſque noſtris coloniis tot hujuſmodi prædatoriæ naves privatis ſumptibus armatæ undique exierunt, ut non ſolum magnum numerum *Gallorum* atque *Hiſpanorum* tam onuſtarum quam nonnunquam bel-

bellicarum navium interceperint, ſed etiam modo ſuis propriis viribus, modo conjunctæ & ductu noſtri conſideratiſſimi & fortiſſimi rei maritimæ illic Præfecti *Bembo*, qui cum ſatis firma claſſe in mari illo jamdudum navigationem & commercia æque tuta nobis atque hoſtibus periculoſa & infeſta præſtitit, plures *Gallorum* inſulas expugnatas cœperit, illos ex S. *Chriſtopheri* inſula penitus ejecerint & exterminaverint, coloniaſque paſſim direptas & vaſtatas fere deleverint: Adeo ut *Gallis* in regionibus illis præter inſulam *Martinico* dictam, vix quidquam reliquum ſit. Atque hæc omnia quod poſteris vix credibile videbitur, Reginæ noſtræ per ſex ſeptemq; tantum menſes adminiſtrationis ſunt: quid quatuordecim anni effecturi fuerint. Domi autem, in patria quam benigna, quam ſalubriter, quam feliciter geſta omnia! Vidimus ingentem pecuniæ ſummam Reginæ à Senatu ad domeſticos & proprios uſus datam & attributam, illam autem in ipſo regni aditu (quo tempore hujuſmodi ſubſidiis magis opus eſſe ſolitum) ea uti noluiſſe, ſed magnam partem ad belli ſumptus & populi ſui ſublevationem converti juſſiſſe. Cujus quidem liberalis & benigni facti haud ſcio an ſimile quicquam ab ullo Regum noſtrorum hucuſque editum, niſi forte a Præſtantiſſima Regina

Eli-

Eliſabetha, cujus laudatsſimis veſtigiis Hæc Noſtra inſiſtere, imo anteceſſiſſe videatur. Sed neque in his bellicis expeditionibus & curis quantumvis arduis, lubricis & periculoſis tota diſtenetur. Et quemadmodum religionem, pietatem, facilitatem & clementiam ab avo, ſic conſideratam frugalitatem, vigilantiam & actuoſam virtutem a parente videretur traxiſſe. Duo ſunt quæ *Britannorum* incolumitatem & felicitatem jamdudum viſa ſint perfectura & cumulatura: nimirum integra cum Scotis noſtris coalitio, tum conſentiens & unanimis inter nos, præſertim circa ſacra, opinionum & ſtudiorum ratio: utraque re vera ab optimis & ſapientiſſimis noſtris Regibus ſæpius tentata, ſuſcepta, & diu multumque nequicquam laborata. Hæc tamen utraque in tanto bellorum ſtrepitu & tumultu, in his rerum difficultatibus, quin in ſe ſuſcipiat, non deterretur. Atque etiam eorum alterum, nempe integram cum Scotis coalitionem, quæ quidem ſi quis paulum in hiſtoria noſtra verſatus, recte attenderit, tanti eſſe momenti, tantæ utilitatis & præſidii apparebit, ut non minori nobis ſaluti, & incolumitati felix hæc cum Scotis conjunctio, quam a reliquo terrarum orbe ſecretio & disjunctio eſſe videatur. Hanc, inquam, conſiderata & prævisa ratione,

exi-

eximia æquitatis & prudentiæ opinione eò perduxit, ut publico ſenatus conſulto & communi omnium conſenſu ſibi delatum ſit delegatos eligere totum negotium in ſe ſuſcipere, & præſtantiſſimo ſuo judicio & conſilio adminiſtrare, adeo ut detur ſperandi locus hoc quoque unum ex feliciſſimi regni ſui monumentis poſteris extiturum. Ad alterum autem, nimirum gentis inter ſe opinionum & voluntatum conſentionem & conjunctionem quod ſpectat, ardua ſane res, & adhuc fere deſperata, ſi quid tamen leniſſima & mitiſſima ratio; ſi quid communis omnium (quoad ſalva republica id fiat) ſalutis cura; ſi quid gentis incolumitatis atque etiam dignitatis ſingulare ſtudium apud boni publici vel ſalutis ſuæ ſtudioſos quidquam poterit, ſpes eſt fore ut Reginæ noſtræ piis & fauſtis auſpiciis, benigna & ſalutifera admiratione gens noſtra ex diuturnis hujuſmodi diſſidiis, & diſſentionibus ex hoc tam inveterato, tam lethali morbo, exſtinctis odiis, ſopita invidia, tandem convaleſcat, aut recreetur ſaltem & reficiatur. Interea autem dum ſecundis noſtris rebus, atque hac jucundiſſima ſpe nos oblectamur; dum de bellis per totam *Europam*, de expugnationibus, de cladibus, de finium devaſtationibus & depræda tionibus nos undique tuti & ſecuri, in

 ma-

magna rerum omnium copia & affluentia, in ſumma tranquillitate & ocio inter nos in cœtu & compitis tanquam ocioſi ſpectatores, potius quam actores ſermones habemus, quas gratias agi? quas laudes Auguſtiſſimæ atque Optimæ Reginæ noſtræ haberi par eſt? Illius Saluberrimis Conſiliis & Curis, Illius Præſtantiſſimo Judicio in Idoneis Conſiliariis & Imperii Miniſtris dignoſcendis & eligendis, Illius Innatæ atque Ingenitæ Lenitati, Benevolo Animo, Eximiæ in Patriam Charitati, & Salutis Suorum Studio hæc omnia accepta referenda ſunt. Illa non ſolum de nobis, de gente ſua, verum etiam de communi libertate & ſalute, de toto Chriſtianorum orbe ſuis pulcherrime factis & adminiſtratione optime merita eſt: Illa veluti Nova in terris Aſtræa, cujus æquiſſima dextra non tantum privatæ inter ſuos Juſtitiæ, ſed publici inter *Europæ* Principes Imperii & Ditionis Libra tenetur. Illam penes eſt Lancem arbitrio ſuo tollere & deprimere; neque enim qualis quantaque ſit Sociata & Unanimis *Britannia* Orbis adhuc vidit, atque huc quaſi cumulus accedit ipſe Regalis Thori Socius, Ampliſſimus & Illuſtriſſimus *GEORGIUS*, *Danicus* Princeps, cujus eam in bello fuiſſe Virtutem novimus, eam in pace Benignitatem & Manſuetudinem vidimus,

nius, eam Consiliorum Salubritatem & Integritatem jam nunc experimur, ut ad gentis felicitatem conciliandam & amplificandam quasi factus & a natura comparatus videretur. Vivant & Floreant Utrique; semper Felices, Hostibus Terror, Sociis Auxilium, Juris gentium, & communis *Europæ* Libertatis Conservatores & Vindices: & qua in Laude & Gloria, quo populi Amore & Charitate Præstantissimæ Reginæ *Elisabethæ* memoria adhuc viget, Sanctum & Augstum *ANNÆ REGINÆ* Nomen sit apud Nos Posterosque nostros in omne Ævum permansurum.

Gallicæ Naves Captæ.

Præfecti.		*Hominum.*	*Torment.*
De Beanieu	le Prompt	500	76
De Montbeau	le Bourbon	410	68
Bassie	le Firme	450	74
L'Autie	le Modere	300	54
D'Aligre	l'Assuré	380	66
De Gour	le Triton	250	42

Naves Combustæ.

Com. Chateau-Regnault	le Fort	500	76
De Frilambeau	l'Oristane	380	64
Champel	le Solide	350	56
Grand-Pre	le Prudent	380	64
Duplesis	le Duphin	230	44
De Polignac	l'Enterprenant	130	24
Gardmarine	les Merodes	50	8
Delescallet	le Favori		14

Naves

Naves Demersæ.

Præfecti.		*Hominum.*	*Tormenti.*
Marchio de Gallisonieu	l'Esperance	420	70
De Montgon.	la Sirene	380	62
March. de Chateauregnault	le Superbe	450	70
De Lorel	la Voluntaire	250	46
		5810	998

Bellicæ Naves Hispanicæ.

Don Manuel de Valasco, Dux	Jesus Maria Josephus	70
Don Josephus Checou	La Buffoona	54
Don Ferdinando Checou	La Capitana d'Astogos	54
		178

Gauli sive Galeones.

Don Visenti Alvares	Santo Christo de Mariacaia.
Don Francisco Blanco	Santo Christo de Buen Viaie.
Don Alonso Iparrere	Santa Cruz.
Don Cozmo Anth. Montag	Nostredam de Mercy.
Don Michael Camiltee	Santa Domingo.
Don Ignatio Asconobritio	Le Trundad.
Don Francisco Baragrand	Nuestr. Sen. de Mercedes.
Don Anth. Gomes	St. Joh. de Baptista.
	Philippo Quinto.
Don John Dungo	Jalashe del General.
Don Frebusia Bernard	La Sacra Familia.
Don Alonsa Lopes	Santa Crux.
Don Martin Mouguera	Santa Susanna.

Tredecim Gauli, alii viginti, alii triginta tormentis armati, omnes combusti & demersi præter quinque a nobis captos.

FINIS.